Decretum de Residentia confectum a Card. Lotharingiæ et Madrucio cum XIIII Patribus deputatis.

(26)

Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura comissa est oves suas agnoscere, regere, uerbiq; Divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pro his sacrificium offerre, pauperum memores esse, eorumq; præcipuam curam gerere: quæ nequaq; ab his præstari, et impleri possunt qui gregi suo non invigilant, neq; assistunt, sed mercenariorum more deserunt. Idcirco, ne ea quæ hac de re sancte, et utiliter iam antea a fe: re: Paulo iij sancita fuerunt in prauos, et alienos sensus trahantur, declarat S. Synodus omnes Patriarchalibus, Primitialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesijs quibuscunq; præfectos obligari ad personalem in sua Eccª. uel diœcesi residentiam ubi propriam habitationis sedem constituere teneantur, ibiq; sibi Diuinitus iniuncto officio defungi.

militat ~~ōia~~ Verum quoniam charitas cui militantur, et necessitas cui cedunt instituta, et præcepta omnia, amplius q̃ tribus mensibus aliquos abesse nonnunq; postulant, et sæpe debitæ in Christo obedientiæ munus, instans, et euidens utilitas Ecclesiæ, et Rei P. idem exigunt: decernit eadem S. Synodus has legitimæ absentiæ causas a B.mo Rom. Pontifice, aut a Metropolitano, uel eo absente a Suffraganeo Episcopo antiquiori residente in scriptis esse approbandas, quæ et recitandæ erunt in concilijs Prouincialibus ut illic intelligantur, ac iudicentur nisi cum absentia inciderit propter aliquod publicum officium prælaturis adiunctum. cuius quoniam causæ sunt notoriæ, et interdum repentinæ, ne quidem significare eas Metropolitano necesse erit sicuti nec alias quæ adeo erunt manifestæ, ut nullis calumnijs pateant: ad illum tamen cum consilio Prouinciali spectabit uidere si quis eo iure abutatur et poenis Canonicis errantem subijcere. Interim meminerint discessuri ita diœcesi

UGR Biblioteca Universitaria

suæ prouidendum, ut ex ipsorum absentia nullum damnum accipiat. Illud
uerò trimestre in anno siue continuum, siue interruptum absentiæ spatium
sancta synodus uult accipi æqua ex causa, et absq; ullo gregis detri-
mento, quod an ita sit abscedentium conscientiæ arbitrio relinquit
quam sperat religiosam, et timoratam fore cum Deo corda pateant
cuius opus non fraudulenter agere suo periculo tenentur. Eosdem interi
admonet ne per trimestre illius temporis spacium sanctissimus Domi-
nici Aduentus, Quadragesimæ, et Pentecostes diebus, quibus refici
maximè, et in Domino gaudere Pastoris præsentia oues debent
ipsi ab Ecclesia sua Cathedrali abesse reperiantur. Si quis aút (quod
minimè futurum credendum est) præter huius Decreti formam abfuerit
statuit s. synodus præter alios Canones aduersus non residentes sub
Paulo iij. renouatos, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum
prouentu fructuum pro rata temporis absentiæ priuari, nec tuta consci-
entia, alia etiam declaratione non sequuta illos sibi detinere posse; sed
teneri; aut ipso cessante superiorem Ecclesiasticum illos fabricæ Eccliæ
si indiguerit, ac pauperibus loci erogare, prohibita quacunq; conuétione
ex qua prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur. qua in
re non solum Episcopor, sed et omnium superiorum, quorum erit his
de rebus cognoscere conscientias oneratas esse uult, iudicariq; a Conc.
Prouinciali si deliquerint, et irritam omnem conuentionem declarare
Eadem de Curatis inferioribus, et alijs quibuscunq; qui beneficium aliquod
Ecclesiasticum curam animarum habens obtinent s. synodus declarat
et decernit: ita tamen ut quandocunq; eos abesse contigerit uicarium
idoneum ab ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione
relinquant, discedendiq; licentiam ultra bimestre tempus ab eodem ordinario
in

scriptis, gratisq; obtineant. quod si per edictum citati, etiam non personaliter con„
tumaces fuerint, licere uult Ordinarijs per censuras ecclesiasticas, et subtractionem
fructuum pro rata temporis absentiæ, alijsq; iuris remedijs etiam usq; ad priuationem
compellere. nec executionem hanc quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemp„
tione, pactione, et statuto etiam immemorabili, et iuramento confirmato siue appella„
tione aut inhibitione, etiam in Romana curia uel uigore Eugenianæ constitutionis
suspendi posse

Postremo tam decretum illud sub Paulo iij. quam hoc ipsum singulis annis non solum
in Rom. cur. per custodem Cancellariæ Apostolicæ sub pœna excomunicationis
in prima Cancellaria mense Januarij publicari, sed etiam et in Concilijs Prouincia„
libus, et Episcopali Synodo quotannis ut Metropolitanus idem fieri curet sancta
Synodus præcipit. Cupit enim quæ adeò ex pastorum munere, animarumq; saluti
sunt frequenter omnium auribus, mentibusq; infigi ut in posterum Deo iuuante
nulla temporum iniuria, aut hominum obliuione, aut desuetudine aboleantur

Videndum de sacerdotijs Curatis quæ alere non possunt residentes

Ut etiam ecclesiasticorum status, ubi sacra Deo officia ministrantur ex dignitate conser„
uetur possint Episcopi tanq; Apostolicæ sedis legati iuxta formam iuris sine tamen
præiudicio obtinentium facere uniones perpetuas quarumcunq; ecclesiarum Paro„
chialium, et Baptismalium, et aliorum beneficiorum curatorum uel non curatorum
cum Curatis, propter earum paupertatem, et in cæteris casibus a iure permissis
etiam si dictæ ecclesiæ, uel beneficia essent generaliter, uel specialiter reseruata
aut qualitercunq; affecta, quæ uniones etiam non possint reuocari, neq; quoquo modo
infringi uigore cuiuscunq; prouisionis, etiam ex causa resignationis, aut deroga„
tionis, aut suspensionis

UGR Biblioteca Universitaria

UGR Biblioteca Universitaria